


Jakob Heinrich Balthasar von Christian Anton Brunnemann Albert Behrens

## **Theses Theologicae Ex Parte I. Ordinationis Pomeranorum Ecclesiasticae**


[Greifswald]: Struck, 1755

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810633280>

Druck Freier  Zugang










*N. N. — 2(100.)*











Q. D. B. V.  
THESES THEOLOGICÆ  
EX PARTE I.

ORDINATIONIS  
POMERANORUM  
ECCLESIASTICÆ.

QUAS  
SUB MODERAMINE

D. JAC. HENR. A BALTHASAR,  
ECCLESIIARUM POMERANIÆ SVECICÆ RUGIÆQUE  
SUPERINTEND. GENER.

ET  
SUB PRÆSIDIO

CHRIST. ANTON. BRUNNEMANNI,

S. THEOL. D. ET PASTORIS BERGENSIS  
SYNODIQUE RUGIANÆ ET CIRCULI BERGENSIS PRÆPOSITI,

ANNO MDCCLV. DIE XI. JUNII

IN SYNODO RUGIANA,

DIE XI. ET XII. JUNII BERGÆ CELEBRANDA,

DEFENDENT

M. ALBERTUS BEHRENS,  
PASTOR SAGARDENS.

ET

MART. HENR. TEENKE,  
PASTOR ALTENKIRCHENS.

---

TYPIS HIERON. JOH. STRUCK.



VIRIS  
SUMME PLURIMUMQUE REVERENDIS ATQUE  
DOCTISSIMIS,  
VENERABILIS SYNODI RUGIANÆ  
DOMINIS  
PRÆPOSITIS, PASTORIBUS  
ET DIACONIS  
VIGILANTISSIMIS, MERITISSIMIS,  
CONFRA TRIBUS,  
FAUTORIBUS ATQUE AMICIS  
SUIS DILECTISSIMIS,  
HASCE THESES,  
TANQUAM COMMUNIS ATQUE ORTHODOXÆ  
POMERANORUM FIDEI  
TESTIMONIUM,  
CUM VOTO OMNIGENÆ SALUTIS  
CONSECRAT ET COMMENDAT  
D. JAC. HENR. A BALTHASAR,  
SUPERINTENDENS GENERALIS.





THESES THEOLOGICÆ  
EX PARTE I.  
ORDINATIONIS POMERANORUM  
ECCLESIASTICÆ.



THESIS I.

ORDINATIO *Pomeraniæ* ECCLESIASTICA est publica & specialis confessio doctrinæ, vitæ & ceremoniarum, in Ecclesiis *Pomeraniæ Rugiæ*que normæ instar ab omnibus accurate observandâ. Sic jubent non solum Principum mandata, in ipsa *Ordinatione* obvia, sed etiam glor. mem. Regis *Sveciæ*, CAROLI XI. præceptum anni 1688. editionibus posterioribus A. 1690. & 1731. quibus nunc utor, præfixum.

II.

Prima namque *Pomeranorum Ordinatio Ecclesiastica* est *Bugenhagiana*, jussu Principum a JOH. BUGENHAGIO idiomate *Pomeranico* concinnata, & A. 1535. *Wittebergæ à Franc. Schlössero* impressa in 8. De qua vid. CRAMERI *Chron. eccles. Lib. III. c. 33.* Illam A. 1542. exceperunt *Agenda eccles.* sub titulo: *Karchen-Ordening, wo sich die Parner unnd Selenforger in Vorreiffinge der Sacrament und Dvinge der Cerimonien holden*  
A scholen



## II.

scholen im Land to Pammern. MDXLII. in 4. Vid. meum *Vol. I. Scriptorum Pomer.* p. 17. 20. 22. 245. 292. Altera *Ordinatio eccles.* eaque auctior, est *Rungiana*, jussu Principum & communi quidem consilio Theologorum ac Superintendentum generalium, calamo autem JAC. RUNGII, (a) iterumque dialecto Pomeranica, A. 1558. conscripta, deinde vero a Politicis recognita, & post varia certamina multasque deliberationes in locis quam plurimis mutata & aucta, à Theologis Wittebergenfibus approbata & a Principibus publicata, denique cura Politicorum Wolgastanorum A. 1563. Wittebergæ in fol. impressa typis *Jacobi Sövenburger.* (b) Quia vero multis depravata erat vitiis typographicis: (c) A. 1564. in conventu Jansenitensi, iterumque A. 1566. in comitiis Treptovianis, nova decreta est editio correctior, eaque ad commodiorem usum forma minori in 4. (d) Quæ etiam, a plerisque vitiis prioribus purgata, iterumque in dictis comitiis Treptovianis A. 1566. publicata, cura JAC. RUNGII, eo fine Wittebergam missi, una cum *novis Agendis ecclesiasticis*, (e) A. 1569. pro ditione Wolgastana Wittebergæ excusa est in 4. in officina *Johannis Schwertel.* (f) Atque hac editione correctâ nunc utimur in ecclesiis nostris, cujus etiam exempla, cum *novis Agendis* iisdem typis impressa eademque ligatura compacta, in plerisque ecclesiis aliorumque bibliothecis adhuc conservata sunt. Utrumque opus, *Ordinationis & Agendorum*, nova editione pro ditione Stettinensi repetitum est Stetini A. 1591. in 4. typis *Andr. Kellneri.* Quæ tamen rarior esse videtur præcedente. Cum postea Pomerania nostra Svecico imperio subjecta esset; sola *Ordinatio eccles.* idiomate Pomeranico prodit Stetini A. 1661. in 4. ex officina *Joh. Val. Rbeten.* Denique utrumque opus, in linguam Misnicam conversum, (g) divisim columnis, idiomate Pomeranico & Misnico, impressum est Stetini in fol. typis *Frid. Lud. Rbeten.* Et *Ordinatio* quidem A. 1690. *Agenda* vero A. 1691. Præfixum est mandatum Regis Sueciæ, CAROLI XI. A. 1688. & subiectæ sunt *Leges Præpositorum & Statuta Synodica* BOGISLAI XIV. pro ditione Stettinensi. (h) Atque hac forma ultima vice prodit Lipsiæ



Lipsiæ A. 1731. impensis *Jac. Löffleri*, Bibliopolæ Acad. Gryphicæ, additis tamen *Legibus Præpositorum & Statutis Synodicalis*, pro ecclesiis Pomeraniæ Suevicæ Rugiæque A. 1666. editis.

(a) Vid. meum *Vol. II. Scriptor. Pomer. p. 61. 406. 407.*

(b) Vid. *Vol. I. Scriptor. Pomer. p. 161-231.* Quod vero eodem anno 1563. alia prodierit editio in 4. ut olim in *Vol. I. Scriptor. Pomer. p. 232.* asserui, non liquet. Mihi, certe, illam hæcenus videre non licuit, qui reliquas editiones omnes non solum vidi, sed etiam possideo. Nec JAC. FABRI, s. FABRICII, relatio, l. c. adducta, hoc asserit. Verba ejus hæc sunt: A. 1563. haben sein selige Gnade samt dem Herrn Vetter, Herzog Barnimo, dem ältern, hochseliger löblicher Gedächtniß, und den Herrn Brüdern, die Pommerische Kirchen-Ordnung revidiren, verbessern, und im Druck ausgehen lassen, über derselbigen auch allezeit steif und fest gehalten. Derhalben auch, als seinen seligen Gnaden fürkommen, daß es an Exemplarien der Ordnung mangelte: haben sie dieselbige, den Kirchen zum Besten, wiederum auflegen und abdrucken lassen. Nec KANSDORFII relatio in meo *Vol. II. Scriptor. Pomer. p. 301.* veritati ipsiusque JAC. RUNGII testimonio conformis est. Annus MDLXIII. in titulo *Ordinationis* in 4. una cum *Agendis* anni 1569. iisdem typis à *Joh. Schwertel* Wittebergæ impressæ, eademque ligatura compactæ hodieque in ecclesiis & bibliothecis obviæ, expressus, non, quod illo anno hæc editio sit impressa, sed hoc tantum indicat, quod renovata atque aucta *Ordinatio ecclesiastica* primum A. 1563. prodierit in publicum, scilicet editione majori in fol. Denique, editionem in 4. ad commodiorem usum annis demum 1564. & 1566. fuisse decretam, paulo ante observavi.

(c) In ipso titulo dicitur, *Ordinationem* renovatam auctamque esse A. MDLXIII. pro: A. MDLXIII. ut habet editio correctæ in 4. Sed in dogmaticis quoque *fol. 2. a.* post verba: Hiebey soll gelehret werden, daß Gottes Wille sey, daß alle Menschen mögen selig werden, und zur Erkänntniß der Wahrheit Jesu Christi können, thesin exhibet minime probandam: Unsonderheit ys dyt gewisse, dat alle thom ewigen Levende erwelet syndt, de Gott dorch dat Evanaelium eschen Ieth, also Paulus sprekt: *Quos elegit, hos & vocavit.* Non legitur illa in *Theologorum Mfto* A. 1558. nec constat, quo auctore *Ordinationi* impressæ inserta sit. In JAC. RUNGII *Catechesi*, *Loco XI. p. m. 127.* contrarium dicitur. Omisssa itaque hac thesi, in editione correctæ anni 1569. *p. 3. b. 4. a.* illius loco leguntur sequentia: Darümme Ieth Gott dat Evangelium allen Menschen verkündigen, unde wil nicht den Dode des Sünders, sonder, dat alle Menschen schölen Bothe doen, unde an Christum, den einigen Widdeler gelsven, dörch en Gnade, den Hilligen Geist, dat ewige Levent entfangen. *Conf. Form. Conc. p. III. 112. edit. Reinecc.*

(d) Vid. *Vol. I. Scriptor. Pomer. p. 231. 232.* & CRAMERII *Chron. eccl. Lib. III. Cap. 64. p. 179.*



## IV.

(e) De illorum elaboratione videas *Vol. I. Scriptor. Pomer. p. 245. 289-313.* Sed in *Symbolo ATHANASII pag. 460. b. post lin. 3.* omissa sunt verba: Unde möten Refenschop geven, wat se gedan hebben, ut legitur in *Corpore doct. Pomer. In Confessione autem AMBROSII & AUGUSTINI, fol. 463. a. post lin. 11.* desiderantur sequentia: Hilf, daß wir samr deinen Heiligen mit der ewigen Herrlichkeit begabet werden. Vid. *To. VI. Oper. LUTHERI Germ. Jenens. fol. 538. & To. X. edit. Haiens. p. 1204.* Fortassis etiam *pag. 32. a. lin. 10.* omissa sunt verba: *Alse ic̄ up syn gödlicke Wort gelöve unde truwe, p. 141.* inserta.

(f) Annus 1569. in titulo *Agendorum, cum Ordinatione* iisdem typis impressorum eademque ligatura compactorum, expressus est. Add. *Vol. I. Scriptor. Pomer. p. 297. MICRÆLII Chron. Pomer. Lib. III. P. 2. n. 14.*

(g) Non tamen ubivis accurate. In *Ordinatione eccles. fol. 6. b. lin. 25.* habes: nöthig sey, pro: nothig sind. Fol. 11. a. lin. 35. pro: nach, legitur: noch. In *Agendis fol. 23. a. lin. 20. 21. edit. noviss. p. 23. lin. 52. 53.* habetur: Der zu seiner Zeit zeugen wird, pro: die zu seiner Zeit zeigen wird. Vid. *Pars I. Observ. de libris normalibus ecclesie Pomer. §. 12.* Sed in *Agendis fol. 277. b. Segen, redditur: Sieg,* ut habent textus latinus *f. 266. b. & Agenda anni 1542. stede averwinninge.*

(h) Vid. *Vol. II. Scriptor. Pomer. p. 756. D. AUG. v. BALTHASAR Historische Nachricht von denen Landes-Gesetzen, p. 52. Oratio jubilæa de Historia & factis Ordinationis eccles. Pomer. à NIC. ALB. BÄHRIO hic Gryphiswaldiæ A. 1735. recitata, & cum Patris, JOH. BÄHRII, Pastoris Anclam. notis edita A. 1736. Plura de editionibus Ordinationis atque Agendorum exposui in Dn. Prof. DÆHNERT Bibliotheca Pomeranica hujus anni.*

## III.

*Ordinationi tamen ecclesiasticæ alii jungendi sunt libri normales, Agenda eccles. Liber Concordiæ, Leges Præpositorum & Statuta Synodica A. 1666. & qui in his commendantur, Corpus doctrinæ Pomeranicum & LUTHERI Scripta contra Sacramentarios, A. 1573. Principum auctoritate Stetini typis exscripta in 4. Ita vero singulorum habenda est ratio, ut in locis dubiis atque controversis, quomodo se invicem explicent, probe consideremus.*

## IV.

Sola quidem Scriptura S. Fidei atque doctrinæ principium & norma est divina, per se fide digna, adæquata & primaria: hoc tamen non obstat, quo minus ecclesia aliis quoque utatur libris normalibus, humano studio ex Scriptura consignatis, ad edendam



edendam fidei atque doctrinæ confessionem ejusque explicationem & vindicationem, ut, qua ratione secundum normam primariam de iis etiam, quæ implicite tantum in sacris literis habentur, sit docendum atque agendum, constet, nec cuivis liceat, verbis Scripturæ in alienum sensum detortis, falsa proponere dogmata sui que ingenii figmenta aliis obtrudere.

## V.

Inter libros normales *fol. 1. a.* referuntur *Augustana Confessio* ejusque *Apologia*. Et *Corpori* quidem *Doctrinæ Pomeranico* A. 1565. inserta est editio variata germanica anni 1540. in 4. (i) a Pomeranis acriter defensa in meo *Vol. I. Scriptor. Pomer.* p. 316. 334. 377. 406. & in *Vol. II.* p. 46. 58. 119. 211. Sed secundum invariata, germanicam pariter & latinam, intelligenda, quæ itidem à Pomeranis cum integro *Concordiæ* libro normæ instar recepta.

(i) Non illa, quæ eodem anno Wittebergæ in 8. prodiit minus accurate, & quædam habet inserta, neque in editione majori, neque in Saxonico nostroque *Corpori doctrinæ* obvia.

## VI.

Cum in *Ordinatione eccles. fol. 1. a. de Repetitione A. C.* dicitur: *die zu Trident übergeben*, (k) hoc non de Confessione exhibita, sed de exhibenda, intelligendum est, ut inscriptio habet in *Corpori doct. Pomer. fol. 91. b.* Repetitio der Augsborgischen Confession, geschreben Anno MDLI. tho überandewerden im Concilio tho Trident. Vid. SLEIDANUS *de statu religionis & reipublicæ tempore Caroli V. Lib. XXIII.* p. 740. SARPII *Hist. Concilii Trid. Lib. IV.* p. 630. 642. nostraque disp. *de Repetitione A. C.*

(k) In Mito Theologor. A. 1558. legitur: *Overantwerdet ys.*

## VII.

Inter libros normales *fol. 1. a.* referuntur etiam *Articuli Schmalcaldici*, A. 1537. a LUTHERO conscripti, & a Theologis Principum Protestantium subscriptis nominibus approbati; (l)



## VI.

fed (adde hoc) postea a LUTHERO variis in locis aucti, cum illos A. 1538. tanquam propriam & privatam (m) Confessionem, cum sua præfatione in lucem ederet absque Theologorum subscriptionibus. (n) Quamvis itaque hæc forma publica Theologorum subscriptione eo tempore non fuerint confirmati, priores tamen in hac quoque LUTHERI editione aucta continentur, a Pomeranis alteri parti *Corporis doctrinæ*, & deinde Libro *Concordiæ* inserta.

(l) In *Ordinat. eccles.* edit. A. 1563. in fol. corrupte legitur: Von den Stenden der A. C. verwandten Theologen. Mistum anni 1558. habet: Von aller Christlichen Stende Theologen.

(m) Inde LUTHERUS in edit. anni 1538. nonnunquam singulari numero de se solo loquitur, *P. III. art. 13. 15.* ubi in *Stoltziana* pluralis habetur: Was wir davon -- haben, das wissen wir. Diß sind die Artikel, darauf wir stehen müssen und stehen wollen biß in unsern Tod, ob Gott wil. Und wissen darin x.

(n) Loca, A. 1538. a LUTHERO addita, recensui in der *Vertheidigung weyer im Concordienbuch angefochtenen Wörter*, p. 10. Quibus tamen in REINECCII *Concordia* p. 500. lin. 30--34. addi debent verba: Also sagt auch Christus -- Vergebung der Sünden.

## VIII.

Cum *fol. 2. a.* de tribus personis S. S. Trinitatis dicitur, illas esse gleich an Göttlicher Majestät: non sensu Ariano nuda intelligitur similitudo, sed æqualitas eademque majestas, quod tres personæ divinæ majestate sint æquales, vel eadem gaudeant majestate. Et sic in sequentibus, æquales æternitate, vel coæternæ, æquales gloria, omnipotentia, justitia & misericordia, quæ easdem habeant proprietates, eandem æternitatem, eandem gloriam, omnipotentiam. Ita namque Germanorum: gleich, accipitur in *Symbolo ATHANASII*, in *Aug. Conf. Art. I.* & in ipsa Scripturæ versione germanica, *Joh. V, 18. Phil. II, 6.*

## IX.

Trinitas personarum divinarum *fol. 2. a.* in opere creationis & in verbo se manifestavit, cum MOSES *Genes. I, 1.* inquit, quamlibet personam divinam creasse cælum & terram, & *vers. 2.* Spiritum



Spiritum personarum divinarum, a Patre Filioque procedentem, aquis incubuisse. Inde porro *Gen. I, 26.* אלהים, quælibet persona, dicit: *Faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram*, aliique Scriptores θεοποιεσθαι plures agnoverunt personas creantes, *Job. XXXV, 10. Ps. CXLIX, 2. Eccles. XII, 1. Jes. LIV, 5.* Si negas, אלהים plures significare personas, licet habeat formam nominis pluralis: eadem quoque ratione negare poteris, verbum נעשה & suffixa *vers. 26.* de pluribus accipienda esse personis, licet forma illorum sit numeri pluralis. Atque sic omne indicium Trinitatis personarum ex historia creationis exulabit, quod tamen *Ordinationi eccles. adversatur & Corpori doctr. Pomer. fol. 150. a.* Cæterum, artic. *de Deo* non habetur in primo Theologorum Msto. A. 1558.

## X.

Quo sensu intelligendum sit, quando *fol. 2. a.* de Filio Dei dicitur, quod sit gleich ewig, allmächtig und herrlich mit dem Vater, thesis VIII. exposuit. Conf. SVICERI *Thesaurus eccles. ad voc. ὁμοῦσιος, p. 485.* Et sic quoque de Filio canit ecclesia: gleicher Gott von Macht und Ehren. Licet itaque Theologi quandoque *Similitudinis* vocabulo hic usi sint, ut, cum in latina versione *Confessionis Mansfeldensis A. 1560. p. 24. a.* dicitur: *Verbum æternum -- -- tale est verbum, in quod Deus Pater transfundit suam substantiam, ut sibi sit simile: explicarunt tamen verbis statim subjectis: ejusdem videlicet voluntatis, potentia, efficacia & æternitatis cum Patre. Imo, Deus Pater dat Filio, quod ipse est.*

## XI.

Filius Dei conceptus est non solum *in Maria, fol. 2. a. Matth. I, 20.* sed etiam *ex Maria, Gal. IV, 4.* ideoque matri suæ ὁμοῦσιος quoad humanam naturam.

## XII.

Christus est unicus mediator, (*1 Tim. II, 5.*) virtute suæ justitiæ suæque obedientiæ homines cum Deo reconcilians, docendo,



cendo, (*Eph. II, 17. 18.*) satisfaciendo, (*1 Tim. II, 6. Ebr. IX, 15.*) intercedendo, (*1 Joh. II. 1. 2. Ebr. VII, 22. 24. 25.*) benedicendo, in regno gratiæ, (*Act. III, 26.*) & gloriæ. *Matth. XXV, 34.*

Cum *fol. 2, a.* Christus dicitur unicus Salvator mundi: mundi nomine omnes significantur homines, ideoque universalis satisfactio pro omnibus hominibus asseritur. *Form. Conc. p. 1107. edit. Reinecc.* Si Christus pro omnibus hominibus satisfecit: ergo etiam pro finaliter impœnitentibus, qui in impœnitentia decedunt & pereunt, *2 Petr. II, 1. 1 Cor. VIII, 11. Rom. XIV, 15. 20. Ebr. X, 29.* Si pro finaliter impœnitentibus satisfecit: ergo etiam pro illorum finali & ad finem usque vitæ durante impœnitentia, qua ex hac vita decedunt, quia per & propter hanc dicuntur & sunt finaliter impœnitentes & pereunt. Certe, cum propositiones de satisfactione pro omnibus hominibus includunt finaliter impœnitentes: illæ quoque propositiones, quæ satisfactionem asserunt pro omnibus peccatis, includere debent impœnitentiam finalem. Alias negares satisfactionem pro ipsa causa damnationis proxima & necessaria, sine qua antegressa peccata actu non damnarent. Et, si negas satisfactionem pro impœnitentia finali & finaliter impœnitentibus, negare quoque debes satisfactionem pro maxima hominum parte, quod tamen sacris literis nostræque *Ordinationi eccles.* contrarium. Si Christus non satisfecit pro finaliter impœnitentibus eorumque finali impœnitentia: ergo nec illius satisfactio valuit pro iis in extremo vitæ articulo, nec ad fidem fuerunt obligati, nec peccarunt, in ultimo vitæ termino meritum Christi repudiantes. Cur ergo damnantur? Num, quod in ultimo vitæ momento fide non recipiant, quod illis tunc non erat destinatum, ad quod credendum eo momento non erant obligati? Sed vid. *Joh. III, 18.* Non autem satisfecit Christus pro finaliter impœnitentibus eorumque finali impœnitentia eo fine, ne, commisso jam hoc peccato, illis impu-  
tetur, nec actu pereant, vel, ut aliquando veniam consequantur,  
aut



aut consequi possint, & ab illo liberentur in futuro seculo. Cum enim post impœnitentiam finalem nova pœnitentia meritique Christi applicatio non sit possibilis, eo usque non extenditur, nec valet satisfactio, *Ebr. X, 26. 27. Luc. XVI, 25. Matth. XVI, 26.* Sed satisfecit Christus pro finaliter impœnitentibus eorumque finali impœnitentia, ne fierent finaliter impœnitentes, & ut illam evitarent in hoc seculo, vel, si nihilominus morose manserint impœnitentes, in futuro iudicio sint inexcusabiles. Omnes homines, peccato à Deo averſi, natura sunt impœnitentes, & sibi relictî, in impœnitentia finali decederent atque perirent. Hoc ne fieret necessario, nec impœnitentia necessario esset finalis, sed, ut ab illa liberari possemus in hoc seculo, Christus satisfecit suaque satisfactione effecit, quemadmodum pro Petro intercessit, ne illius fides deficeret finaliter, *Luc. XXII, 32.* & pro hostibus suis, ne absque remissione peccatorum decederent, licet inter illos sine dubio multi essent finaliter impœnitentes, *Luc. XXIII, 34.* Quemadmodum etiam satisfecit pro morte & damnatione æterna, non, ut damnati aliquando veniam consequi possint; sed, ne damnemur necessario, & ut vera pœnitentia æternam mortem evitare queamus. Si vero nihilominus in impœnitentia homo moritur morosa: in futuro iudicio est inexcusabilis, quia sibi ipsi viam ad salutem præcludit, in propriis peccatis decedens voluntarie.

## XIV.

Christus sua morte nos redemit, *fol. 2. a.* Mors hæc fuit vicaria, *2 Cor. V, 14. Ebr. II, 9.* Morte enim sua nostro loco sustinuit pœnam, a nobis promeritam, ne mors nobis maneret pœna. *Ebr. II, 15. Phil. I, 21. Apoc. XIV, 13.* Mors itaque naturalis tantum est ex peccato. *Genes. III, 19. Rom. V, 21. sq. VI, 23. VIII, 10. Apol. A. C. p. 95. edit. Reinecc. Form. Conc. p. 903.* non futura in statu integritatis ante lapsum & sine peccato. Quod *Apologia A. C. p. 85.* indicat, homini in statu integritatis tribuens *æquale temperamentum qualitatum corporis, quod iustitia originalis habitura*, unde perfecta corporis (Corporis, inquam, immediate a Deo ad vitam æternam conditi,

B

Lev.



## X.

*Lev. XVIII, 5. Rom. VII, 10. Sap. II, 23. 24.*) fanitas, cum ipsa iustitia originali duratura, & moderato iustoque ciborum saluberrimorum arborisque vitæ usu & divina benedictione (*Deut. VIII, 3. Matth. IV, 4.*) conservanda, nullaque affectuum intemperie, vel alio casu noxio turbanda, donec, post vitam in hac terra longævam, (*Exod. XX, 12. Gen. V. 4. sq.*) vivum eveheretur in cœlum, ut *Enoch & Elias*, non autem *Moses*. Nesciunt hic sacræ literæ, nesciunt *Libri Symbolici* discrimen mortis *naturalis & violentæ* atque *immaturæ*, ita quidem, ut mors *naturalis* in statu integritatis fuerit necessaria, *violenta* vero atque *immatura* in statu corruptionis. Ipsi regniti, iique omnes, moriuntur in Adamo, *1 Cor. XV, 22.* h. e. propter illius transgressionem indeque ortam corruptionem, *Rom. V, 12.* nulla itaque ratione morituri, si mansissent integri. Conf. *Agenda eccles. fol. 180. a. 205. a. 249. a. 251. b. 252. a. 255. b. Corpus doctr. Pomer. fol. 164, b. 162. b.* Idem vult *Catechesis nostra puerilis*, ad quæst. Worin bestand das Bild Gottes, dazu die ersten Menschen erschaffen? respondens: Es bestand in einer ausnehmenden Gleichheit der Menschen mit Gottes Weisheit, Heiligkeit, Gerechtigkeit und Unsterblichkeit.

## XV.

Christus sua morte satisfecit etiam pro morte naturali impiorum, ne iis maneret pœna, si satisfactionem fide reciperent. Hac vero repudiata, vi iustitiæ divinæ vindicativæ manet illis pœna animæque transitus ad pœnas infernales. Si mors impiorum est pœna animæque transitus ad æternos cruciatus: resuscitatio corporum eorumque redunitio cum anima non erit illis beneficium, sed, vi iustitiæ divinæ, est pœnæ continuatio totiusque suppositi instaurationis ad plenariam consummatæ damnationis executionem, quemadmodum captivi educuntur e carcere ad ultimum supplicium. Non igitur resurgunt impii virtute meriti Christi, nec Christus illis resurrectionem promeruit, sed resurgunt vi iustitiæ divinæ vindicativæ. Vid. *BALTH. RHAU Theol. polem. de Anthropol. P. 2. p. 238.*

XVI. Cum



## XVI.

Cum *fol. 2. a.* ad consummationem redemptionis nostræ ipsa quoque resurrectio Christi refertur, quod tamen in Misto Theologorum non exstat: *Redemptionis* vocabulum ejusque *consummatio* non nudam salutis acquisitionem, soluto pretio factam, significat, ut *Rom. III, 24.* sed includit etiam hujus acquisitionis manifestationem ipsiusque salutis applicationem per fidem, qua credentes, resurrectione Christi de plenaria illius Satisfactione convicti, actu liberantur à reatu culpæ & pœnæ, & in regnum Christi transferuntur ab illo ipso, qui jam in statu glorioso vivens & regnans, ecclesiam sibi colligit & salvat. *Rom. IV, 25. V. 10. 1 Petr. I, 23. Luc. I, 74. 75. Col. I, 13. 14. 2 Tim. IV, 18. Rom. VIII, 34. Ebr. VII, 24. 25.*

## XVII.

Cum Verbum Dei scriptum & vocale, *fol. 2. b.* contra *Schwenckfeldium* dicitur potentia Dei *omnibus credentibus*, quo convertantur & salventur, ex *Rom. I. 14.* non negatur intrinseca virtus omnisque operatio verbi respectu impiorum, quippe in quorum etiam cordibus sapissime virtutem suam exerit, licet motus illi supprimantur. *Act. XXIV, 25. XXVI, 28. Joh. XII, 42. 43.* Hoc loco *Ordinatio Eccles.* tantum docere voluit, ipsum verbum scriptum & vocale (non *Fanaticorum* lumen internum, Christum in nobis, canonem internum) esse divinum & efficax conversionis & salutis medium, sine quo ordinarie nemo convertatur & salvetur. Idemque tum demum plene suam exserere virtutem divinam, atque conversionem (intransitivam, qua ad Deum accedimus) & salutem æternam operari in homine, si morose non resistat, sed verbum audiat, vel legat, & credat. *Act. II, 37--41. Joh. VI, 44. 45. Act. VIII 28--39.*

## XVIII.

Legi *fol. 2. b. (edit. noviss. p. 3.)* tribuitur *vera conversio*, non soli, nec tota, sed, quantum sola operari potest, nempe agnitio peccati, dolor & contritio, qua ad veram conversionem,



## XII.

verbo evangelii perficiendam, agit lex, quod suum est. Conf. meum *Vol. II. Scriptor. Pomer. p. 302.* Cæterum, in Msto Theologorum A. 1558. primaque editione *Ordinationis eccles. A. 1563. in fol.* inter spurios usus legis post verba: selig werden, sequitur: *Seelen vorlösen.*

## XIX.

Per *inclinationes*, desideria, appetitiones, *fol. 3. a.* intelliguntur interni pravi motus actuales, ex corrupta hominis indole ac natura, seu habituali propensione ad malum, promanantes. *Rom. VII, 17. Jac. I, 14. 15.*

## XX.

Verba: und Natur, *fol. 3. a.* non leguntur in primo Theologorum Msto, ab illis tamen profecta sunt, ut ex meo *Vol. II. Scriptor. Pomer. pag. 61.* apparet. Nec *natura* vocabulum hoc loco ipsam hominis substantiam, vel essentiam, significat: Sed idem denotat, quod antecedens: böse sündige Art, corruptam hominis indolem & vitiosam qualitatem, substantiæ, seu essentiæ humanæ, inhærentem, postea dictam die böse verderbte Art in der Natur. Cum itaque verbis prioribus peccati nomine significantur pravi actus, tam externi, quam interni: his ultimis indicatur peccatum originis, prava propensio habitualis & privatio imaginis divinæ. Sic ipse explicat JAC. RÜNGIUS *l. c. Conf. Form. Conc. p. 817. ed. Reinecc.*

## XXI.

Cum *fol. 3. a.* dicitur, daß die Zehen Gebote lehren die rechten guten Werke: non adversantur hæc *Augustanæ Conf. germ. p. 17. ed. Reinecc.* Derhalben ist die Lehre vom Glauben nicht zu schellten, daß sie gute Werke verbiete: sondern vielmehr zu rühmen, daß sie lehre gute Werke zu thun. Lex docet bona opera, tam externa, quam interna, præcepto normali, unde, *quod, cur & que* bona opera facienda sint, intelligamus. Doctrina autem de fide justificante docet bona opera facere, eum ostendit, *quomodo* illa facere possimus, ut textus latinus *A. C.* habet, scilicet



licet virtute fidei, virtute Christi ejusque Spiritus, per fidem in nobis habitantium, novaque suppeditat motiva, stimulum & vires, ad studium bonorum operum. *Pf. CXIX. 32. CXXX. 4. Tit. II. 11. 12. Gal. V, 6. Luc. I, 74. 75. Act. XV, 9.*

## XXII.

Licet *fol. 3. a.* tantum dicatur, hominem post lapsum *viribus naturalibus* non posse exuere peccatum, & speciatim originale: inde tamen non sequitur, ut exuere possit viribus gratiæ. Nam peccatum originis qua radicem primosque motus inevitabiles manet etiam in regeneritis, quamdiu vivunt, inseparabiliter. *Rom. VII, 14. sq. Ebr. XII, 1.*

## XXIII.

Cum *fol. 3. a.* dicitur, ne quidem post conversionem legem a regeneritis *servari & impleri* posse: inhæsiiva impletio & tota lex intelligitur, perfectam hominis integritatem & immunitatem ab omni labe, etiam originali, requirens. Alio sensu regeneriti legem servare & implere dicuntur. *Rom. VIII, 5. XIII, 8. 1 Joh. IV. 3. & in Apol. A. C. p. 156. 354. 150. 155. 186. 194. edit. Reinecc.*

## XXIV.

Ex verbis *fol. 3. a.* daß er auch ohne die Gnade Jesu Christi und Hülfe des Heil. Geistes kein geistlich gut Werk thun könne, daß Gott gefällig sey, conjunctis cum antecedentibus: daß der Mensch aus eigenen Kräften, non sequitur, hominem *propriis viribus naturalibus* opera vere & spiritualiter bona Deoque grata facere posse, si accesserit gratia Jesu Christi & Spiritus S. adjuvans. Verba: ohne die Gnade Jesu Christi und Hülfe des heil. Geistes, simpliciter excludunt proprias vires naturales, utpote gratiæ contrarias, *Gal. V, 7.* Ideoque tantum negant, quod antecedentia: nicht aus eigenen Kräften, & soli gratiæ Christi atque operationi Spiritus S. hos effectus tribuunt, ut *Joh. XV, 4. Conf. 2 Cor. III, 5. 1 Cor. XII, 3.* Idem volunt verba sequentia: daß der Mensch aus eigenen Kräften, ohne den H. Geist, sich



## XIV.

sich nicht kan zu Gott bekehren. Conf. Vol. II. Scriptor. Pomer. p. 22. 23. 296. JACOBI RUNGII Catechesis, p. 79. 80. 82. Historia Libri Torgensis, P. III. p. 63.

## XXV.

Sunt autem opera vere & spiritualiter bona, quæ fiunt secundum utramque legis tabulam, cum fiducia gratiæ divinæ, vero Dei amore atque filiali timore veraque sui ipsius abnegatione, in honorem Dei & ad obsequium suum Deo declarandum, suamque ipsius & proximi ædificationem ac salutem.

## XXVI.

Decretum divinum, quod homo verbum Dei scriptum audire, nec Spiritui S. morose, h. e. consentiente voluntate, resistere debeat, fol. 3. b. tantum infert necessitatem obligationis in ordinaria adultorum conversione. Luc. XVI, 29. Joh. VI, 45. Dicitur *immutabile*, 1. Respectu Dei, qui ordinarie adultos non alia ratione vult salvare, nec, salvo hoc decreto, potest. 2. Respectu hominum, qui ordinarie alia ratione salutem consequi nequeunt. Rom. X, 13. sq. Salva interim manet Dei libertas, qui secundum iudicium sapientiæ suæ sic decernere potuit & decrevit, prout suæ gratiæ & justitiæ suoque fini & naturæ hominis conveniens esse intellexit, aliud quoque decernere potuisset, si ita visum fuisset divinæ sapientiæ, ab ordinario denique conversionis modo sæpius recessit. Conf. Rom. XI, 33. 1 Cor. II, 21. coll. 1 Cor. VII, 36. 37. Matth. III, 9. Ad libertatem Entis perfectissimi non requiritur, ut in rebus creaturarum sine iudicio sapientiæ, vel contra illud, aliter decernere possit. Hæc maxima foret imperfectio. Idem de creatione & universa providentia observandum. Vid. Corpus doctr. Pomer. fol. 150. 151. a. 136. b. 137. a.

## XXVII.

Spiritus S. cum verbo est eique adesse dicitur fol. 3. b. (in edit. noviss. p. 4.) non solum ad infinitam virtutem verbi divinam, sed etiam ad Spiritus S. operationem per verbum indicandam.

## XXVIII.



## XXVIII

Ad asserendam universalem vocationem, *fol. 3. b. (in edit. noviss. p. 4.)* dicitur: Gott läſſet das Evangelium allen Menschen verkündigen, non tamen, quod omni tempore omni quæ loco singulis individuis evangelium oraliter proponatur. Ad universalem vocationem sufficit, quod evangelium aliquando per totum orbem fuerit publicatum, (*Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 20. Rom. X, 18. Col. I, 6. 23.*) verbis conceptum sit universalibus, a cujus usu absoluto Dei decreto nemo exclusus, hodieque publice sonet in & extra ecclesiam. Cæterum, hanc thesin neque in primo Theologorum Mſto, neque in edit. A. 1563. in fol. extitisse, jam supra thesi 2. docui.

## XXIX.

Verba *fol. 4. a.* Darum Gott der Herr seinen Geist von ihnen nimmt, und läſſet sie fahren in verkehrten Sinn nach ihren Lüsten, ex *Rom. I, 28.* iterum non leguntur in Mſto Theologorum. Et, quomodo cum illis consistere possit gratia revocans, disputant JOH. FECHTIUS in disp. *de Ordine modoque gratiæ convertentis*, aph. 18. & in *Lect. in Syllogem controversiarum*, p. 186. REINECCIUS in *Epit. controversiæ de termino gratiæ peremptorio*. Conf. WALCHII *Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der Lutherischen Kirchen*, P. II, p. 851 Et nota exemplum Judæ, gratioso Christi alloquulo ad pœnitentiam revocati, (ut Petrus Christi adſpectu, *Luc. XXII, 61.*) licet Satanæ esset mancipium. *Matth. XXVI, 50. Luc. XXII, 48.*

## XXX.

Cum *fol. 4. a.* dicitur, quemlibet damnari propter propria peccata, originale pariter & actualia: non hoc asseritur, quod omnes, peccato originali & actualibus infecti atque contaminati, pereant. Sic enim nemo salvaretur. Sed sensus est, quod omnes, qui damnantur, non pereant Dei culpa, vel absoluto decreto, sed sua damnentur culpa, propter propria peccata, tam originale, quam actualia. *Ezech. XVIII, 20. Jerem. XXXI, 29. 30.* Nec simpliciter excluduntur peccata aliena, quatenus



quatenus illorum causa quis est moralis, eaque ratione ipse quoque peccat libere.

## XXXI.

Ipsum peccatum originis (*fol. 4. a.*) est nostrum proprium opus, ab hominibus, in oppositione ad Deum, profectum, quatenus protoplasti libere propriaque culpa legem transgressi sunt, se ipsos corruperunt, suamque corruptionem in posteros derivarunt, quotidiana generatione naturali ulterius propagandam. Inde etiam proprium dicitur ratione inhætionis. Sed, adde quoque ex *Corpore doctrinæ Pomeran. fol. 162. b.* sequentia: Nachdem aber Heva dem Teufel gegläubet und gefolget hatte, und von Gottes Wort abgefallen ist, und hernach auch Adam; da sind beide, Adam und Heva, in Gottes Zorn und ewige Straffe gefallen, und haben Gottes Sohn und den heiligen Geist von sich ausgestossen, und die schönen Tugenden, die sie zuvor gehabt haben, verlohren, für sich und für das ganze menschliche Geschlecht, dessen sie ein Anfang hätten seyn sollen; und das aus ihnen natürlicher weise hätte kommen sollen. Denn, sie sind da gestanden an der Stelle des künftigen menschlichen Geschlechts, und sind ihnen die Gaben darum gegeben, dieselben auf die Nachkommen zu erben, wenn sie igo in diesem Gehorsam beständig geblieben wären. Da sie nun gefallen sind, haben sie die Gaben für sich und für das ganze menschliche Geschlecht, das aus ihnen natürlicher weise hätte sollen gebühren werden, verlohren.

## XXXII.

Quod multi salventur, licet propria habeant peccata, Scriptura non hanc adfert rationem, quod non consenserint in lapsum protoplastorum indeque ortam & propagatam corruptionem, nec in omnia peccata actualia, quæ itaque illis imputari nequeant ad pœnam, ne quidem privativam, seu exclusionem a beatitudine futuræ vitæ. Per lapsum Adami & natura, per & propter naturalem generationem vitiosam, omnes sumus filii iræ & rei mortis æternæ. *Rom. V, 12. 14. 16. 18. Ephes. II, 3. Agenda eccles. fol. 140. b. August. Conf. Art. 2.* Sed hæc vera causa est, quod Christus pro illis satisfecerit, virtute verbi & sacra-



sacramentorum, vel extra ordinem & immediate, regenerentur & in fide perseverent. Quod autem hæc gratia extraordinaria etiam obtingat, vel omnino obtingere debeat, infantibus infidelium extra ecclesiam, ante usum rationis & sine mediis ordinariis decedentibus, non liquet. Qui affirmat, eandem gratiam multis inter infideles concedere tenetur adultioribus, qui ab infantibus parum differunt. Sed vid. *Eph. II. 11. 12.* *1 Cor. VII, 14.* (Ad quem locum conf. WOLFFII *Curæ Philol. & criticæ.*) *Apoc. XXI, 27.* *Apol. A. C. p. 241.* *Catechismus LUTHERI major, p. 719. edit. Reinecc. Corpus doctr. Pomer. P. I. fol. 38. a. 219. b. 285. b. P. II. fol. 27. a.* Et, cum excluduntur a salute, fit hoc salvo amore salvaque justitia Dei, quia, contra voluntatem Dei & absque illius culpa, ordinariis salutis mediis privati, in propriis peccatis decedunt. Ad extraordinaria vero Deus nemini obligatus est, nec illa extra ecclesiam promissa sunt.

## XXXIII.

Recte dicitur *fol. 4. b. (in ed. noviss. p. 5.)* hominem justificari in rechter Buße und Befehrung, ad ordinem salutis statumque hominis justificandi significandum. Hoc enim ordine & tunc justificatur homo, cum veram agit pœnitentiam & ad Deum se convertit conversione intransitiva, *Fer. III, 12. Ezech. XVIII. 14. 15. 16.* Sunt hæc tempore simul. *Form. Conc. pag. 969. ed. Reinecc.* Præcipua autem pars conversionis fides est, quæ etiam causa justificationis ex parte hominis, unde deinceps additur: *allein durch den Glauben.* Nec obstat *Form. Conc. p. 962. edit. Reinecc.* Ibi enim tantum negatur, contritionem & bona opera esse causas justificationis. Conf. *Vol. II. Scriptor. Pomer. p. 296.*

## XXXIV.

Justificatio hominis peccatoris coram Deo *fol. 4. b. (in edit. noviss. p. 5.)* recte explicatur per remissionem peccatorum per & propter imputatam obedientiam Christi, fide apprehensam, *Rom. IV, 5. 6. 7.* Atque hoc sensu negatur, hominem justificari, aut justum esse, coram Deo per internam inhærentem  
C justitiam



## XVIII.

justitiam operum, vel legis. Non negatur inhærens justitia operum in rege[n]itis per renovationem Deoque grata, sed negatur illius valor in judicio divino ad remissionem peccatorum. Conf. fol. 5. & Form. Conc. p. 826. ed. Reinecc.

## XXXV.

In justificatione obedientia Christi nobis imputari dicitur, ad indicandam formam justificationis & divinum justificationis actum ipsumque remissionis peccatorum fundamentum. In *Ordinatione eccles. fol. 5. a.* imputari dicitur in *conversione*, ut supra *thesi 33.* justificari dicimur in *conversione*. Non itaque necesse est vocabulum *conversionis* hic de *justificatione* intelligere. Conf. b. A. J. KRAKEVITZ II *Progr. ad Lect. cursor.* STIBERI, p. 7.

## XXXVI.

Ex lem[m]ate marginali: *De sanctificatione & inhabitatione, fol. 5. a.* non licet inferre, sanctificationem, stricte sic dictam, ordine priorem esse gratiosa inhabitatione. Contrarium docent ipsa articuli verba. Ordo verborum non necessario infert ordinem rerum. In margine sanctificationi additur inhabitatio, ad causam sanctificationis simul indicandam.

## XXXVII.

Semper docendum est secundum *fol. 5. a.* cum justificatione & remissione peccatorum indivulso nexu conjunctam esse donationem Spiritus S. ad gratiosam inhabitationem & operationem in nobis. *Gal. III. 14. Apol. A. C. p. 194. edit. Reinecc.* Non tamen, ut alteram partem justificationis, sed ut illius consequens inseparabile. Vid. *Vol. II. Scriptor. Pomer. p. 70. 71. Hist. Libri Torgensis, P. IV. p. 34. 35.*

## XXXVIII.

Cum *fol. 5. a.* dicitur, Patrem & Filium in credentibus habitare per Spiritum S. non negatur ipsius Patris Filiique gratiosa inhabitatio, *Job. XIV, 23.* Nec afferitur, Spiritum S. esse ministrum, aut vicarium, Patris Filiique nomine, jussu, aut vice,  
in



in credentibus habitantem. Sed tantum, donationem Spiritus S. a Patre Filioque factam esse, & ordo in agendo indicatur, ut Pater *per* Filium dicitur mundum creasse, *Ebr. I, 2.* & Christus *per* Spiritum S. ejicit diabolus. *Matth. XII, 28.* Idem valet de verbis *fol. 2. b. (in edit. noviss. p. 3.)* Und daß dadurch alle Gläubigen von Gott dem Vater durch den H. Geist zu dem Herrn Christo gezogen und gebracht werden.

XXXIX.

Ex verbis *fol. 5. a.* in der Gläubigen Herzen wohnet, gegenwärtig und kräftig ist, recte colligitur, secundum mentem *Ordinationis eccles.* gratiosam Dei inhabitationem non in nuda consistere Dei operatione, sed ipsam quoque significare Dei præsentiam in credentibus per essentiae *αδιασπασίας*. Et jam ante conscriptam *Ordinationem eccles.* Pomerani hanc thesin asseruerunt A. 1555. in Censura Msta contra *Artopæum, Osiandristam.* Conf. *Form. Conc. p. 977. edit. Reinecc. nostrumque Progr. ad Lect. cursor. Dn. D. BEKKERI. A. 1747.*

XL.

Non solum in credentibus habitat & operatur Deus, tanquam in templo suo & palmitibus: sed credentes sunt etiam in Christo, tanquam capite, vite & propugnaculo, *1 Joh. IV, 13. II, 5. Joh. XIV, 20. XV, 4. Eph. I, 22. 23. II, 22. IV, 15. Joh. XVII, 21.* Atque hoc sensu unum esse dicuntur cum Deo, *Joh. XVII, 21.* Nimirum, unio hæc ex parte Dei est *activa*, in nobis viva & vivifica. *Gal. II, 20.* Ex parte hominis *passiva*, ex Christo vitam viresque accipientis. Præsupponitur autem, credentes in Christo esse unione fidei *relativa*, qua Christi obedientiam sibi applicant, a Deo illis imputandam, *Rom. III, 25. Phil. III, 9.*

XLI.

Ex *Rom. V. 19. fol. 5. b. (in edit. noviss. p. 6.)* unius obedientia multi justificari dicuntur, non solum *meritorie*, sed etiam *imputative & formaliter*. Nihil enim prodesset nobis obedientia Christi



XX.  
Christi satisfactoria ejusque meritum ad justificationem, nisi nobis imputaretur, ut hac ratione justii declaremur & justitiam habeamus, coram Deo valentem, *Phil. III, 9.* Quemadmodum *Onesimo* ad reconciliationem non profuissent *Pauli* intercessio & sponso, nisi eas *Philemon* illi imputasset, eundemque propter illas in gratiam recepisset. Inde *Ordinatio eccles.* dicit, obedientiam Christi nostram esse justitiam coram Deo. Cæterum, quæ præcedentibus thesibus XXXVI--XLI. exposui, non leguntur in primo Theologorum Msto, ubi totus exulat articulus de *inhabitatione & sanctificatione.*

XLII.

Baptismo aquæ, precibus verboque divino consecrandæ, (*1 Tim. IV, 5. Ps. XXVII, 8. Matth. XVIII, 19. 20. XXVIII, 19. Marc. XVI, 16.*) infantes Christo offeruntur, traduntur & consecrantur, ut, ab illo in gratiam recepti, fiant ipsius filii, peculium, templa, membra & fideles cultores. Et sic quoque Patri & Spiritui S. Hoc volunt etiam verba: *Εἰς τὸ ὄνομα*, secundum *Agenda eccles. fol. 88. a. 94. a.* His si jungas verbum *βαπτισμοῦ*: clarissime patebit, per baptismum hoc fieri, & baptismum hujus effectus esse medium ex parte Dei, per ministrum agentis. Cumque sine fide nemo Deo placere, nec cum illo uniri possit: simul intelligimus, baptismum in infantibus operari fidem, qua, tanquam medio ex parte hominis, Deo consecrantur, & a Deo in gratiam recepti, cum illo uniantur. (o) Illustrant & confirmant hoc dicta *Marc. XVI, 16. Tit. III, 5. Gal. III, 26. 27. 1 Petr. III, 21. Act. II, 38. 39. XXII, 16.* Denique, infantes comprehenduntur verbis universalibus: *πάντα τα ἔθνη*, æquæ facile per baptismum discipuli Christi efficiendi, ut olim infantes Judæorum per circumcisionem. *Marc. X, 14. Col. II, 11. 12.*

(o) De Fide infantum baptizatorum vid. *Agenda eccles. fol. 94. a. 114. b.* nostrumque *Progr. ad disp. inaug. Dn. D. BEKKERI.* De salute autem infantum Christianorum, absque baptismo decedentium, *fol. 101. a.*

XLIII.

Secundum interpretationem *Ordinationis eccles. fol. 5. b.* (*in edit. noviss. p. 6.*) baptismus aquæ in dicto Paulino, *Tit. III, 5.* est



est lavacrum, non regenerationis solum, sed etiam renovationis, quia voc. ἀνακαρνώσεως mediante καὶ cum antecedente: πάλιν γενεσιᾶς, cohaeret, nec διὰ repetitur. Et sic vertunt Libri Symbolici, p. 571. 961. edit. Reinecc. Licet etiam cum recentioribus N. T. interpretibus germanis, HEUMANNO, BENGELIO & auctore des Versuchs einer mit Schrift und Vernunft übereinstimmenden und erläuternden Uebersetzung des N. T. repetita praepos. διὰ & voce ἀνακαρνώσεως cum verbo ἕσσωεν copulata, vertas: Durch die Erneuerung des H. Geistes: nihilo tamen minus Spiritus S. æque ut Christus, manet causa renovationis per baptismum, Eph. V, 26. quia opera ad extra sunt indivisa. Conf. ERASMI Annot. ad h. l.

## XLIV.

Phrasi fol. 5. b. (in edit. noviss. p. 6.) Dadurch wir in den Tod und in die Gnade Jesu Christi gesenket werden, ex Rom. VI, 3. petita, respicit *Ordinatio eccles.* ad ritum immerfionis, tempore Apostolorum & sub initio reformationis in Pomerania quoque usitatum, docente ipsa *Ordinatione fol. 22. b.* postea quidem abrogatum in *Agendis fol. 98. a.* largiori tamen affusione merito compensandum, vultu infantis aquæ proxime admoto, ut merfioni fiat similior.

## XLV.

Cum fol. 6. a. mortificatio carnis veterisque Adami dicitur vera conversio coram Deo: conversio intelligitur intransitiva, seu pœnitentia, eaque non lapsorum, sed stantium, quia fructus & consequens est baptismi, & baptismo significatur. Mortificatio autem carnis veterisque Adami dicitur vera conversio coram Deo, (non: ad Deum, quæ proprie fit fide, per caritatem efficace. Ebr. IV, 16. VII, 24. X, 22.) quatenus illa nos avertimus a malo, animo sincero, in conspectu Dei, intimos cordis recessus perscrutantis. Et conjuncta est cum nova piaeque vita. Utraque fit per gratiam & Spiritum Jesu Christi & virtute fidei. Act. XV. 8. 9. Conf. *Agenda eccles. fol. 42. a.* meumque Vol. II. *Scriptor. Pomer. p. 303. 304.*

C 3

XLVI.



SUB pane & vino accipi dicuntur verum corpus & sanguis Christi, *fol. 6. a.* non per inclusionem, aut consubstantiationem, sed, ad transubstantiationem, vel conversionem panis & vini essentialem, clarius negandam, veramque duarum substantiarum, panis & corporis Christi, vini & sanguinis, unionem sacramentalem asserendam, qua symbola visibilia fiunt vehicula & media corporis sanguinisque Christi distribuendi. Idem volunt particulæ: IN & CUM.

Symbola autem intelliguntur *consecrata*, *1 Cor. X, 16.* De quo loco vid. ER. SCHMIDIUS ad *Luc. I, 64.* Et consecratio, acceptis positisque ante nos Symbolis, exemplo Christi & secundum *1 Tim. IV, 5.* fit precibus, (Oratione Dominica) & verbo, *1 Cor. XI, 23. 24. 25.* Quibus minister nomine ecclesiæ  
 1. Deum glorificat, & petit, ut secundum primam institutionem suamque promissionem nunc agere velit Christus, ipsaque sumtio nobis sit proficua. 2. Mente ad Deum directa, publice profiteatur divinam eucharistiæ institutionem Christique promissionem, & declarat, secundum illas nunc agere velle ecclesiam, Corpus & Sanguinem Christi mediantibus Symbolis distribuendo & recipiendo. *Pf. XXVII, 8.* 3. Profitetur mortem Christi ejusque salutarem finem, ad excitandam & confirmandam fidem, Deoque gratum animum declarandum. His omnibus symbola visibilia, a communi usu separata, ad sacrum usum destinantur, ut fiant vehicula Corporis & Sanguinis Christi. Simulque omnes serio monentur, ut fidem habeant verbis Christi, & in vera pœnitentia Sacramento utantur. Necessitas consecrationis elucet  
 1. ex mandato Christi: *Hoc facite, Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 24. 25.* Quo agere jubemur non solum speciali mandato præcepta, panem vinumque edendo & bibendo in memoriam Christi; sed etiam ab ipso Christo facta, accipiendo Symbola, benedicendo Symbolaque precibus consecrando, promissionem Christi de præsentia corporis sui, pro nobis traditi, & sanguinis, pro nobis effusi, profitendo, distribuendo. 2. Ex praxi Apostolorum,



lorum, *1 Cor. X, 16*. Nunquam igitur omittenda est, si salvam velis esse Sacramenti essentiam, formam & integritatem. Vid. *Form. Conc. p. 1037. 1039. 1040. 1051. 1052. 1021. 845. 846. edit. Reinecc. CUNDISIUS ad Compendium HUTTERI, p. 1146. MISLERI Opus novum Casuum conscientiae, p. 365. sq. WANDALINI Expositio Theologiae. p. 318. 342. J. F. BUDDI Instit. Theologiae dogm. p. 1519. WALTHERI Centuria Miscellaneor. Theolog. p. 125.* Ipsa quidem oralis recitatio verborum institutionis, seu actus ministri, verba recitantis, non efficit unionem sacramentalem, nec verbis recitatis vim quandam magicam tribuimus Christum de caelo detrahendi, vel symbolorum essentiam mutandi: sed unionem efficit ipsa omnipotens virtus & gratiosa Christi voluntas, in prima institutione ejusque verbis promissa, & in usu eucharistiae integro efficax, quotiescunque secundum primam institutionem administratur. Consecrationem vero Theologi habent pro *causa impulsiva*, Christum movente, ut in integro sacramenti usu, vi institutionis & promissionis suae, per suam omnipotentiam cum pane & vino corpus & sanguinem suum praesentia sistat & in credentibus gratiose operetur. *Matth. XVIII, 19. 20.* Vid. JOH. MUSÆUS in *Prælect. in Epit. Form. Conc. pag. 252. 254.* JO. FR. BUDDIUS in *Instit. Theol. dogm. p. 1484.*

## XLVIII.

Panem & vinum Christus instituit, iisque promissionem suam alligavit. Panem & vinum requirit etiam *Ordinatio eccles.* Nullo itaque in casu, cujuscunque etiam sit necessitatis, hæc symbola mutare illorumque loco alia substituere licet, si salvam velis esse sacramenti substantiam. Conf. *Agenda eccles. fol. 220. a.*

## XLIX.

Pro: In allen Christen in und nach der Befehring nöthig sey, *fol. 6. b. (edit. noviss. p. 7.)* legatur: in allen Christen -- nöthig sind, ut habet textus Pomeranicus meumque Mstum, in quo tamen verba: in und, desiderantur.

## L.

Cum vero dicitur, bona opera necessaria esse in conversione: secundum ipsorum Pomeranorum interpretationem in  
meo



meo *Vol. II. Scriptor. Pomer. p. 40. 41.* conversionis vocabulum non accipitur pro sola contritione, nec pro justificatione, quasi bona opera jam ante fidem requirantur in contritione, vel in justificatione sint necessaria, tanquam illius medium, meritum, pars, aut causa formalis. Sed accipitur de tota christiana pœnitentia omnibusque ejus partibus, quarum tres statuunt Pomerani in *Agendis fol. 58. b. 59. a.* contritionem, fidem novamque obedientiam, seu propositum emendationis, non improbante *Apol. A. C. p. 258. 297. edit. Reinecc. Quæ & p. 187.* inquit: *Verum est, quod in doctrina pœnitentiæ requiruntur opera, quia certe nova vita requiritur.* Mens itaque *Ordinationis eccles.* est, quod, cum homo vera conversione ad Deum accedit, tunc adesse quoque debeat bonum propositum emendationis, non tamen ad consequendam justificationem, sed propter ordinem salutis, divinitus constitutum, propter fidem & statum hominis, ad Deum se convertentis. *Ezech. XXXIII, 14. 15. 16. Jes. I, 16. 17. 18.* Ad justificationem ex parte hominis sola fides necessaria est. *Ebr. XI, 6. Rom. III, 28. Conf. Vol. II. Scriptor. Pomer. p. 296. 304. Form. Conc. p. 969. edit. Reinecc. b. KRAKEVITZII Progr. ad Lect. cursor. STIBERI, p. 7.*

## LI.

Cum porro dicitur, bona opera necessaria esse *post* conversionem: intelligitur conversio lapsorum, postquam (id est, postquam lapsi iterum conversi sunt ad Deum, & stant in fide) necessaria sunt bona opera in stantibus & quotidiano pœnitentiæ exercitio. Pœnitentia enim in Christianis durat usque ad mortem, docente *Apol. A. C. p. 510. edit. Reinecc.*

## LII.

A phrasi: *Bona opera sunt necessaria ad salutem,* Theologi Pomerani non solum libere abstinere, *fol. 7. a.* sed abstinere quoque debent, secundum *Form. Conc. p. 984. 986.* hac in parte jam olim a Pomeranis approbatam in *Vol. II. Scriptor. Pomer. p. 71. coll. Vol. I. p. 124.* Non tam sensus in hujus, vel illius, Theologi mente, quam sonus verborum hic spectandus est,



est, ne influxum bonorum operum in negotium salutis asserere videamur. Cæterum, hæc verba in primo Theologorum Msto non extant.

## LIII.

Verba: Und also für Gott dem Herrn angenehm und gefällig, fol. 7. a. iterum desiderantur in Theologorum Msto, nec coherent cum immediate præcedentibus: Die doch in denen Gläubigen durch den Herrn Christum bedeckt werden. Sed prædicantur de bonis operibus nostris, Deo gratis & acceptis, postquam imperfectio & impuritas, illis adhærens, in credentibus Christi merito, gratiose imputato, fuit contacta.

## LIV.

Quæ jam de causis sequuntur, cur bona opera facienda sint, fol. 7. a. iterum non habentur in Theologorum Msto. Docent autem, quod & quomodo Christiani ad studium bonorum operum excitandi sint, inter alia etiam promissionibus de præmiis bonorum operum. Non itaque hujusmodi docendus est amor Dei purus, ubi nulla habetur promissionum divinarum ratio.

## LV.

Sed, promissiones illæ pie quoque & dextre explicandæ sunt, quod non nitantur dignitate & merito operum nostrorum, sed sint mere gratuitæ. Rom. IV, 4. 5.

## LVI.

Visibilis Pontificiorum cœtus non est vera Christi ecclesia, quia adversatur verbo Dei, & quæ in illo tradita sunt, negat & persequitur mendaciis, falsa doctrina & cædibus truculentis. Publice etiam exercet & defendit idololatriam aliaque abominanda & doctrinas dæmoniorum, fol. 7. a. b. Quamvis itaque in hoc cœtu visibili corruptissimo virtute verbi & baptismi detur aliqua ecclesia invisibilis, seu cœtus vere sanctorum, maxime infantum, ut olim in Israelitico, 1 Reg. XIX, 18. omnis tamen apostasia a Lutheranismus ad Papismum voluntaria salutis exitiosa est, quia apostata Professione fidei Tridentinæ abnegat

D

yeram



veram religionem & transit ad visibilem Papistarum ecclesiam falsam, ejusque falsa dogmata & impias praxes approbare teneatur, *1 Tim. VI, 3. sq. 2 Joh. 9. Matth. XXIII, 15.* Idem de aliis statuendum est scētis, errores fundamentales contra Verbum Dei publice docentibus ac defendentibus.

## LVII.

Ad signa veræ ecclesiæ visibilis, præter puram verbi doctrinam & legitimam sacramentorum administrationem, *fol. 7. b. (in edit. noviss. p. 8. non vero in Msto)* ex MELANCHTHONIS *Examine Ordinandorum*, in *Corpore doctrinæ Pomeran. fol. 289. a.* refertur obedientia erga ministerium ecclesiasticum, secundum *1 Cor. I, 10. Ebr. X, 25. XIII, 17.* Quæ loca in *Latino Examine ordinandorum* allegantur. Non tamen absoluta requiritur obedientia, sed in his, quæ sunt proprie Ministerii juxta evangelium, vel, ut *Corpus doctrinæ Pomer.* habet *l. c.* in göttlichen Geboten. Et sic quoque in libero & legitimo usu clavium. Cæterum, ubi in visibili ecclesia hæc deprehendimus signa: ibi invisibilem quoque cætumque vere sanctorum dari, certo credere possumus propter promissiones divinas, *Jes LV, 10. 11. Matth. XVIII, 19. 20. Eph. V, 26. 27. 1 Cor. X, 16. 17.*

## LVIII.

Omnes Christiani ad vectigalia & tributa, magistratui solvenda, jure divino obligati sunt, *fol. 7. b. (in edit. noviss. p. 8.)* Qua itaque Clerici apud nos fruuntur immunitate, secundum *Ordinationem eccles. fol. 109. a. & Statuta Synodica, Cap. V.* illam habent ex gratia magistratus & consensu reipublicæ, non tamen sine ratione gravissima, ut ad reverentiam, magistratui debitam, magis excitentur, & in agendis officii sui partibus sint diligentiores, nec, modico ut plurimum gaudentes stipendio, neglecta ecclesiæ cura, aliena sectari cogantur, si, oneribus civilibus pressi, necessariis vitæ alimentis priventur. Conf. *Gen. XLVII, 22. Esræ VII, 24. 1 Cor. IX, 9-14. Sir. XXXVIII, 25. XXXIX, 1. Gal. VI, 6. 7.*

LIX.



## LIX.

Magistratus officium est tueri & conservare *regimen ecclesiasticum*, pura verbi divini doctrina, legitima sacramentorum dispensatione veroque usu clavium & honestorum rituum institutione & conservatione exercendum, *fol. 8. a.*

## LX.

Non absoluta merique arbitrii potestas *reformandi* competit magistratui, uti ne quidem in politicis, ita nec in ecclesiasticis, sive doctrinam spectes, sive ritus, *fol. 8. a.* Præter leges provinciæ fundamentales, tam divinas, quam humanas, libertatis quoque christianæ, conscientiarum, pacis, decori & boni ordinis publicique commodi, habenda est ratio, ne, quod omnium consensu legitime constitutum est, & absque scandalo servari potest, cum offensione aliorum, & imprimis infirmorum, temere immutetur, vel novi quid obtrudatur. Hoc ipsi Principes promiserunt *fol. 109. b.*

## LXI.

Magna opus est prudentiâ & divina sapientia, precibus a Deo impetranda, ne in applicatione regulæ: *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus*, peccemus. Inprimis cavendum est, ne privati vi & armis magistratui se opponant, si forte contra Verbum Dei aliquid præcipiat. Ubi precibus locus non conceditur, nec legitimis demonstrationibus: negato consensu, res Deo commendandæ & injuriæ patienter ferendæ sunt. Vid. *Statuta synodica, Cap. V, §. 6. Dan. IV, 16. VI, 10. sq. Act. IV, 23. V, 20. 41. 42.* Cæterum, quæ antecedentibus thesibus LVIII. LIX. LX. LXI. exposita sunt, non leguntur in *Ordinatione* manuscripta.

## LXII.

Ceremoniæ ecclesiasticæ, a Deo quoad speciem neque præceptæ neque prohibitæ, (eoque respectu indifferentes) sed ab hominibus instituendæ, verbo tamen divino non contrariæ, aliæ *necessariæ* sunt, ad decorum bonumque ordinem ab



hominibus necessario instituendæ. Aliæ ad piam informationem utiles. *Fol. 58. a. edit. noviss. pag. 8. 9. Rom. XIV, 9. i Cor. XIV, 40. XI, 34.*

## LXIII.

Quamvis *fol. 8. b. (in edit. noviss. p. 9.)* ad ceremonias, & speciatim Pomeranicas, non adstringantur conscientiæ, tanquam ex opinione meriti, aut justitiæ coram Deo, vel necessitatis ex mandato divino quoad speciem suam, observandas, quare etiam liberæ dicuntur 1. Respectu aliarum ecclesiarum. 2. Respectu totius ecclesiæ Pomeranicæ, ut possint, urgente necessitate, communi consensu mutari, vel abrogari. 3. Respectu conscientiæ privatorum, qui in casu necessitatis, & si absque scandalo fiat aliorum, ab iis recedere possint: Principum tamen mandato & communi reipublicæ consensu, decori, boni ordinis, pacis & informationis causa, privatorum conscientiæ adstringi possunt, ne temere, absque necessitate & cum scandalo aliorum, illas negligant, vel immutent. Quo respectu singulis privatis necessariæ dicuntur, *Rom. XIII, 1. 5. XIV, 19.* Ipsum tamen Principum mandatum cum pœnali comminatione, *fol. 8. b. 9. a.* expressum, non legitur in Msto Theologorum. *Conf. Vol. I. Scriptor. Pomer. p. 181. 183. 567. 581. 582.*

## LXIV.

Cum *fol. 8. b. (in edit. noviss. p. 9.)* negatur, rituum (humanorum) uniformitatem in ecclesia christiana necessariam esse, ecclesia intelligitur *universalis* & obligatio ex mandato divino. Alia ratio est ecclesiarum *particularium*, unius magistratus imperio subjectarum. Cujus itaque legibus ecclesiasticis, publico consensu approbatis, singuli cives parere tenentur, pœna digni, ubi magistratus contrarium usum non approbaverit. Vid. *Vol. I. Scriptor. Pomer. pag. 567.*

## LXV.

Ex verbis *fol. 9. a.* sonderlich zu dieser gefährlichen Zeit, controverfiis *adiaphoristicis* & *Calvinianis* Sec. XVI. ecclesiam tur-



turbantibus, sequitur, ut, quo majus ecclesiæ imminet periculum corruptionis ex rituum immutatione, eo accuratius ritus honestos, semel receptos, conservare studeamus, nec, iis abrogatis, vel præter illos, alios temere recipiamus.

## LXVI.

Quia divino mandato generali omnia ordine ac decenter in ecclesia agere, &, quæ pacis mutuæque ædificationis sunt, sectari præceptum est: ergo placent quoque Deo ritus, ad hos fines consequendos utiles, modo absit omnis opinio cultus meritorii, *fol. 9. a. 1 Cor. XIV, 33. Jonæ III, 5 -- 10.* Non quidem leguntur hæc verba in Misto Theologorum, sed a Politicis profecta sunt, ut ex *Vol. I. Scriptor. Pomer. pag. 182.* apparet: contra JAC. CRUSIUM tamen defenduntur a JAC. RUNGIO in meo *Vol. I. Scriptor. Pomer. p. 569.* Qui & alibi, *Vol. II. pag. 466. 501.* contra objectiones *Crusianas* disputat.

## LXVII.

Cum *fol. 9. b. (in edit. noviss. pag. 10.)* dicitur, in nonnullis scriptis MELANCHTHONIS (*Corpori doctrinæ Pomer. insertis*, sed secundum alios libros normales recte intelligendis) præcipuos articulos nostræ veræ doctrinæ Christianæ & evangelicæ, consilio LUTHERI aliorumque præcipuorum Theologorum, sincere, pie & orthodoxe, expositos esse: ex mente Pomeranorum hoc intelligendum est de iis scriptis, quæ vivo LUTHERO prodierunt, & de rebus magis ac sensu, quam de verbis. Conf. *Vol. I. Scriptor. Pom. p. 390. Vol. II. pag. 14. 23. 27. 100. 167. 168.* Hanc thesin totumque caput de *Corpore doctrinæ*, in Misto Theologorum non extans, hic & *fol. 1. b. a* Politicis profectum esse, JAC. RUNGIUS refert in meo *Vol. I. Scriptor. Pomer. pag. 183.*

## LXVIII.

Abstinendum est ab omnibus peregrinis opinionibus & controversiis, verbo Dei & *Ordinationi eccles.* contrariis, ne  
asseran-



XXX.

afferantur, vel defendantur in ecclesiis nostris, *fol. 10. a. in edit. noviss. pag. 11.*

LXIX.

Novatores, contra doctrinam & ceremonias ecclesiæ nostræ disputantes temere & contumaciter, relegandi sunt ex provincia, propter gloriam Dei, ne illius religio & doctrina corumpantur, & ad avertendam æternæ ac temporalis salutis, pacis, concordiae ac tranquillitatis, jacturam, *fol. 11. a. Conf. Agenda eccles. fol. 158. a. Rom. XIII, 4.*


LXX.

Pro: oder noch der Vermahnung, *fol. 11. a. quod etiam in edit. noviss. extat, legatur: oder nach der Vermahnung. Contra errantes enim una alterave præmittenda est admonitio, secundum Tit. III, 10. Textus Pomer. habet: na der Vermahnunge, non vero in Manuscripto.*



*Th. XXVIII. lin. 3. pro: omni quæ, leg. omnique.*






















the scale towards document



bonis accedant Taxatores, qui bona feudalia pos-  
 qui eorum cognitionem accurate habent. *Chur-  
 eff-Ordn. T. 40. zu Taxirung.* Nam in Allo-  
 atio a Scabinis Provincialibus durch die Lands-  
 tituitur *d. l. T. 39. §. würde aber.*

I. Separationem Bonorum ordo nunc tangit,  
 bet, quando concursus Creditorum existit & di-  
 imoniorum, vel bonorum Conjunctio apparet,  
 in finem instituitur, ut bona separentur & uni-  
 rum legitime satisfiat, KOHL. *in Tr. de Separ.*  
 ti contingit 1) In bonis Feudalibus & Allodiali-  
 Z. *de Graduatione Creditorum C. 1. Th 7. Lit. A. 2)*  
 liberorum bonis *l. 1. §. 3. ff. de Separat. l. 3. C. qui*  
 GRAUPIZ *d. l. L. B. 3)* In bonis defuncti & here-  
 seqq. *l. 9. ff. de Separ.* 4) In bonis mariti & ux-  
 onis sociorum, vel ut bona istius stationis aut  
 onis alterius stationis aut Tabernæ separentur.  
 END. *ad Fibig. p. 1101. n. 12.* 6) In bonis eorum,  
 neficium Competentiæ, ut tantum de bonis se-  
 um ad alimentandum sufficiat GRAUPIZ. *d. l.*  
 modo eadem intra quinquennium a iudice Com-  
 mediate, vel mediate per procuratorem, specia-  
 ad id habentem petatur. *l. 1. §. 13. ff. de Separ. CZ.*  
 §. DN. SCHVV. *d. l. p. 1099. n. 4. & n. 11.*

I. Nunc admonendi iumus de Concursu Cre-  
 est iudicium Universale, inter Creditores & De-  
 unem, ad petitionem vel Debitoris, vel Credi-  
 officio iudicis, coram vel ratione Domicilii, vel  
 competente, instituendum. SALGAD. *in Laby.*  
*Cap. 11.* Quem in finem iudex Creditores citat  
 n, debitorem vero ad respondendum & reco-  
 postea Creditores in termino Credita liquida  
 er prioritare disputant, ut sententia designatio-  
 P. nis